ANGELO FUSINATO

CONCORDIENSIS ECCLESIAE

REGIMEN

SUSCIPIENTI



PATAVII

TYPIS SEMINARII

1851

Haec dies, qua ad episcopalem dignitatem solemniter promoveris, cum laeta omnibus affulget, tum nobis jucundissima esse debet. Te enim prudentissimum moderatorem ac patrem amantissimum diu experti sumus in hoc domicilio, quod Te antea alumno et professore summopere gloriabatur. Nostris semper haerebit animis et grata recordatione memorabitur indoles illa ad beneficentiam proclivis, illa comitas gravitate condita, et efficax illa ad pertrahendas quocumque libuit adolescentulorum voluntates dexteritas. Nihil dicimus de singulari tua pietate, nihil de doctrina, nihil de caeteris virtutibus, quae nobis in hoc studiorum curriculo, in hoc Gregorianae disciplinae sacrario assidue

praeluxerunt. Ex quo fit, ut acerbissimo Tui a nobis proficiscentis desiderio excruciemur, et Concordiensis Seminarii alumnis quodammodo invidere cogamur. Ut aliquod grati animi signum exhiberemus, communi omnium consensu statuimus, hanc Ferrarii, clarissimi viri et in nostro Seminario olim studiorum Praefecti, orationem tuo nomine insignitam typis committere, utpote quae id praecipue doceat ac complectatur, quod Tu et adolescens optime executus es, et nuper a nobis effectum voluisti.

XIV Calendas Mart. MDCCCLI.

Alumni Seminarii Patavini

PUERI

BONIS PRAECIPUE MORIBUS PRIUS

QUAM BONIS ARTIBUS

IMBUENDI

Educandorum puerorum studium quemadmodum apud omnes nationes cultiores pariter ac barbaras aetate qualibet viguisse compertum est, sic ipsam eorum educationem pro multiplici morum, opinionum, locorum, temporum varietate dissimilem fuisse constat: ut propterea quantum revera gentes inter se universae congruerint, tantum educandi modo inter se singulae dissenserint. Veterum historiarum fastos, ac longe remota a nobis monumenta percurrens, video a quibusdam populis usurpatam immanem atque horridam disciplinae rationem, et ab hac civili vitae consuetudine et humanitate penitus abhorrentem. Video Lucanorum filios in sylvis duriter educatos (1): Nabathaeorum ac Phrygum liberos tamquam servos habitos a parentibus (2): Aegyptiorum adolescentes nullo solitos vesci cibos, nisi post plurimorum stadiorum cursus lustrationesque viarum (3): Cretenses juvenes assiduis laboribus eruditos, venando, algendo, aestuando, famem sitimque perferendo (4): Spartanos denique pueros ad aram verberibus sic acceptos, ut multus manaret e vi-

sceribus expressus sanguis (5), quod nimirum hujusmodi severa vitae institutio bellicae fortitudinis disciplina quaedam videretur.

Abiit haec peculiari Superum beneficio, jampridem abiit, quae tamdiu regnaverat vitio temporum, exterminata barbaries, eamque excepit mitior educandi ratio, et ad liberalem hominis indolem et ingenuam magis accommodata.

Graecorum scilicet Romanorumque sapientia ex Piraeeo et Capitolio aliquod quasi signum ostentans, ad bene sperandum omnes erexit: ea juvenes ad se vocavit, eorum mentes liberaliter tractare coepit, emendare mores et erudire, ac tandem pristina immanitate depulsa, dociles eosdem reddere, et ad elegantiam traducere. Tum vero gratulari sibi magnopere humana mens, quod fuisset in alium quasi orbem derepente translata, et ex illis tenebris, in quas barbaries ipsam et ignorantia demerserant, in hanc tantam veritatis lucem feliciter evasisset.

Ad honestam hanc et liberalem mentis institutionem utilius promovendam plurimum deinceps contulit summa Principum beneficentia, pulcherrimarum artium atque scientiarum publice ubique erectis et institutis Gymnasiis: plurimum etiam Academiae ea sedulo investigantes, quae ad id prae caeteris apta essent et opportuna; et praemia iis decernentes, qui in his inquirendis prosperum exitum habuissent. Incredibile dictu

est, quantopere se se in hoc doctorum hominum ingenia torserint, quam multa protulerint instituendae vitae systemata, quam varias leges praescripserint: at, si quod est, sine invidia fateri possumus, non admodum tot tantarumque rerum apparatu profecimus, et adhuc optimae institutionis fructum, quem quaerimus, desideramus.

Amens profecto sim, si in tanta virium infirmitate majus aliquid mihi sumam, vel potius arrogem, ac putem, me acutius, quam caeteros, rem pervadere: liceat tamen mihi, quod interdicitur nemini; mihi, inquam, liceat (ex officio praesertim et gravitate personae, quam hoc loco sustineo) quod cogito, ex animi sententia declarare. Non longe itaque, ut opinor, a veritate recedam, si dicam, tantae calamitatis originem ex eo esse potissimum repetendam, quod non, ut par est, informentur mores; quod plerique educationis ordinem invertentes intelligentiam in pueris ante et impensius colant, quam voluntatem; orationem prius et linguam, quam vitam et affectiones cura potiore instituant. Quare nihil arbitror me facturum, vel mihi magis conveniens, vel vobis gratius, quam si illud hodie solemni more contendam: teneros puerorum animos bonis praecipue moribus ante, quam bonis artibus esse imbuendos; ut harum postea notio et exercitatio, optima vitae disciplina praeeunte, eam tandem afferat, quam optamus ac pollicemur jure nobis, utilitatem.

Cum multa necessaria sunt ad tuendam promovendamque inter homines societatem, ex qua singulorum etiam felicitas efflorescit; tum illud in primis, ut ad eam juvandam pro sua quilibet facultate se idoneum reddat, ad ejus bonum se natum et procreatum agnoscat: quod quidem Socrates volebat intelligi, cum rogatus, cujatem se diceret, *mundanum* se esse profiteretur (6). Etsi vero omnigenarum artium cultus atque disciplinarum, multiplex munerum et officiorum varietas, praeter alia propemodum infinita, ad eamdem societatem augendam et conservandam plurimum valent, adeo ut, his detractis, vigere ipsa et sustentari non posset: judicio tamen sapientum, immo communi aetatum omnium experientia et consensione certissimum est, ea, quibus nititur societatis bonum et incolumitas, quaeque publicam privatamque felicitatem constituunt, bene moratum et institutum hominem flagitare; eum scilicet, in quo religio, abstinentia, justitia, integritas aliaeque virtutes de principatu contendant. Ecquod enim in tanta terrenorum bonorum copia, licet eadem exaggeres in immensum, ecquod tandem est, quod a virtute sejunctum vel humanum animum prorsus explere valeat, vel breviter non evanescat, vel non possit in perniciosos usus converti? Enimvero virtutis est legum cultum et observantiam tueri, quibus remotis, quaelibet societas corruit; extollere animum ad verae ac solidae laudis decus, atque ipsum

corroborare et instruere, ut neque voluptatum enervari se sinat illecebris, non impetu malorum frangi, non assentatione corrumpi; ejus est hominem erga patriam amore incendere, eoque propensum reddere, ut sui similibus quamplurimum semper prodesse velit, nocere nemini; ad extremum ita instituere, ut omnem vitae honestatem in colendo officio sitam existimet, turpitudinem in negligendo.

Jam vero si cuilibet haec tam utilia sunt ac necessaria, atque adeo multo praestantiora, quam litterarum cognitio, et societati multo magis conducibilia, cui tenentur omnes pro viribus inservire; quidni mature admodum inculcari debeant pueris, ut prae caeteris facultatibus haec percipiant? Dicenda, repetenda saepe ac saepius, et explicanda sunt eadem ipsis, ut a teneris iis assuescant, ut ipsa jam tum maximo in pretio habeant, ac sibi in animum alte infigant, fructus uberrimos allatura. Mihi itaque detur puer, cui a prima aetate persuasum illud omnino sit, nihil agendum sibi, quod a virtute dissentiat; actionem quamlibet esse inanem, nisi honestate, veluti fundamento, nitatur: qualem hic omnibus et quantam sui expectationem injiciet? Haec enim semel ab eo percepta cum ipsa aetate adolescent, et ad praeclara quaeque in posterum capessenda faces eidem quasi quasdam peropportune subjicient. *Quod munus* (dicam multo potiore jure, quam Tullius (7)) *quod munus reipublicae afferre majus,*

meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus in his primum artibus juventutem? Quae quidem institutio longius differri nequit, quin eadem haec aetas gravissime periclitetur.

Cui enim ignotum est, nos *simul atque editi in lucem... sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versari* (8)? Sunt etiam, fateor, animis nostris insita quaedam incitamenta virtutis. Quid si prima illa quasi vitiorum semina citius, quam hujusmodi virtutis igniculi, se se evolvant atque succrescant? Videre mihi jam videor praeposteras opiniones rationis imperia detrectantes volitare praecipites hac et illac, tempus praevertere, aggredi pueros, eorumque improvidas mentes obsidere, impugnare, impellere, ut sibi in illas aditum patefaciant. Quantopere itaque timendum est, ne eosdem, si incautos occupent atque deprehendant, nec ullo antea veluti munimento septos, in errorem secum abripiant! Praecipue cum et ipsi sint malarum artium ignari, maxime in vitium proni, et quae primum in animos illabuntur, iisdem vehementissimam vim adhibeant. Quantopere timendum est, ne haec monstra tenerum illum puerilis innocentiae florem subvertant, et mentes adeo corrumpant atque depravent, ut tenues illi virtutis igniculi consopiantur, ac vix unquam possint progressu temporis se se exerere.

Non inanis hujusmodi metus est. Tenacissimi nem-

pe sumus eorum, quae prima aetate percepimus, et (quod maxime dolendum est) pejora plerumque magis ac deteriora inhaerescunt. Atque hoc animadvertere cum in multis licet, tum prae caeteris in Annibale, qui odium erga Romanos a puero conceptum, sibique a patre *haereditate relictum sic confirmavit, ut prius animam, quam id deposuerit* (9). Pejora siquidem non solum alte inhaerescunt, sed etiam usque ad ultimam senectutem perdurant; ita ut vanitati non raro veritas, et confirmatae opinioni natura ipsa paene cogatur cedere. Facile quondam fuit tot tantisque malis occurrere; facile puerorum animum, ubi sincerus sit, ad nostrum arbitrium formare et fingere. Nihil enim tam tenerum, quam ille est, neque tam flexibile, neque quod tam facile, quocumque ducas, sequatur (10). Verum ut corpora ad quosdam membrorum flexus formari nisi tenera non possunt (11); sic animus ad verae virtutis studium aetate ipsa durior, ut ita dicam, evadit; quaeque ipsi antea maximo incitamento fuissent, magistrorum adhortationes, parentum vota, praemiorum spes, aliorum optima exempla, vix quidquam postea proficient. Tam multa scilicet se se objiciunt, quae eumdem in contraria penitus studia vel invitum ac repugnantem trahunt! Innata illa ac vehemens in vitium proclivitas, consuetudine ipsa ac temporis diuturnitate corroborata; immodicus aestus sanguinis; cupiditates effraenes, paene dixerim, et indomitae licentia redditae; exigua

rerum experientia; ratio non admodum expedita. Quid illa mentis levitas et inconstantia puerilis aetatis propria? Quid illa laudum praeconia, quibus pueri grandiores facti cumulari sentiunt, qui toti sunt in parandis divitiis, in extruendis sibi magnificis aedificiis, in conquirendis undique voluptatibus? Quantam vim habent haec ad animos impellendos! Quam difficile exui possunt, ubi eosdem prima occupaverint! Periculosi olim ac plurimum metuendi Sirenum cantus praetervehentibus maria ab hisce monstris obsessa: laudes vero hujusmodi magis pertimescendae. Ea siquidem vox erat quidem blanda, non tamen publica; haec non ex uno scopulo, sed ex omni terrarum parte circumsonat (12). Quam diligenter itaque et accurate optimis praeceptis et institutis in tam praeposteras opiniones, in tam valida blandimenta vitiorum praemuniendos adhuc teneros puerorum animos ac roborandos putabimus, antequam eos invadant atque pervertant? An non enim in id praecipua cura incumbendum, id praemittendum omnibus artium studiis judicabimus, ex quo, si paullisper a teneris negligatur, malum fortasse exsistet, quod nullum postea remedium pati poterit?

Neque vero quisquam mihi nunc ineuntis illius aetatulae teneritudinem objiciat, nemo infirmitatem exaggeret. Ea quidem et ad labores, qui necessario impendi debent in litteras, propemodum inepta est; et ad graviorum praesertim disciplinarum intelligentiam minime

accommodata. At quam dissimilis ratio est, si de moribus, si de virtute loquamur! Ad hanc exercendam non ullo scientiae apparatu, non subtili mentis acumine, non longa ratiocinatione, quibus omnibus destituuntur pueri, opus est: sufficit vel prima aetas; immo quanto ad severiora studia prae aliis minus idonea est, tanto id facilius ipsa percipiet. Ad hoc plenius intelligendum mecum ejusdem indolem recognoscite.

Nemini ignotum est, quanta naturae incitatione ferantur pueri ad eorum imitationem, quae ab aliis fieri quotidie vident. Ingrediminor privatas illorum domos atque Gymnasia; animadvertite, quaeso, quam diligenter intendant assidue oculos animosque in praeceptores atque domesticos, toti in eo, ut eosdem omnino exprimant in se ipsis; et cum plerumque meliora imitari ac praestantiora non possint, videte, ut saltem externum corporis habitum ac formam simulent, vocem, incessum, gestum, et quidquid tandem ultro spectantibus se se offert vel primo intuitu. At nunquam melius naturalis haec eorum imitandi sagacitas se se prodit, quam cum relaxantes animum ludo indulgent. Nihil est, quod ipsi referre tunc sedula imitatione non studeant. Ibi varios equorum cursus, taurorum pugnas, militum certamina, omnigenas demum artes, exercitationes, actiones, studia ab iisdem videbitis et vivide expressa et simulata solerter. Quin igitur et nos in puerorum institutione naturam sequimur, et insitum

hunc imitandi instinctum ad eorum utilitatem traducimus? Cur iis virtutem mature admodum non proponimus, in cujus studio, eo quod facile sit, proficerent mirum quantum, adjuvante plurimum ipsa et impellente natura? Non ipsum, fateor, virtutis decus, non intimam ejus vim assequi plane poterunt hac aetate; sed levem potius quamdam illius imaginem ex imbecillitate judicii effingent, et *solam*, paene dixerim, *cutem* (13): verum *in teneris consuescere multum est* (14); multum est hujusmodi studio a pueritia teneri. Levia scilicet ac rudia illa veluti lineamenta virtutis in expressam ac solidam ejusdem formam progressu temporis desinent.

Utinam eam mentem Superi parentibus omnibus injiciant, ut suam prolem bonis praecipue moribus prius, quam bonis artibus imbui velint! Quam facile enim ea poterit ac jucunde ad virtutem rebus et exemplis ante oculos positis erudiri! Per haec virtus, tamquam per speculum, objecta sensibus illico puerorum animos in sui amorem abripiet.

Atque hic quam vastus mihi se se aperiret dicendi campus, si pueros ad perennes illos sanctissimae religionis fontes traducerem! fontes prae caeteris eligendos, fontes prae omnibus adeundos; unde tantum, et non aliunde, sinceri manant omnium virtutum latices; unde optima disciplinae praecepta, eventa, facinora, adhortationes, effata, ea demum omnia, quibus vera et

saluberrima gignitur institutio, alitur, propugnatur, fovetur. Sed quoniam haec omnibus aeque in promptu esse debent et familiaria, ideo cultiores homines, quos nostra spectat oratio, cum haec potissima et omnium efficacissima sibi praesidia adsciverint, quae nunquam satis commendari poterunt et inculcari; profanas pariter historias consulant, etiam hinc utilia moribus percepturi. Quam multas enim nobis imagines non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum, fortissimorum virorum expressas ethnici scriptores reliquerunt (15)! In has ipsi oculos mentemque intendant.

Videant Cyrum adhuc adolescentem supplicem se quotidie, oriente sole, prosternere, atque ita obtestari venerabundum supremi Numinis majestatem. Videant M. Regulum inter suorum lacrymas ad supplicium ultro proficiscentem, ut datam hostibus fidem servet (16). Scipionem videant accersitis parentibus ac sponso inviolatam tradere virginem eximiae formae; Scipionem et juvenem, et caelibem, et victorem (17): eumdemque ita alloquentem audiant Massinissam: *Non est (mihi crede) tantum ab hostibus armatis aetati nostrae periculi, quantum ab circumfusis undique voluptatibus. Qui eas sua temperantia fraenavit ac domuit, is multo majus decus majoremque victoriam sibi peperit, quam nos, Syphace victo, habemus* (18). Audiant demum Titum romani imperii moderatorem dolentem graviter, ac testantem, periisse diem, quo

nullum contulerit beneficium [19]: et Pium affirmantem, *malle se unum servare civem, quam mille hostes occidere* [20]. Poteruntne pueri ad imitationem natura facti hujusmodi documenta intueri in tam illustribus posita monumentis, quin subito ad similem virtutis laudem se rapi sentiant et inflammari? Parum tamen haec omnia, vel nihil proderunt, si eorum custodes, domestici, praeceptores contraria exempla sufficiant; quod in Alexandro videmus, quem (ut traditur a Babylonio Diogene) robustum quoque et maximum regem prosecuta sunt vitia, quibus ipsum jam puerum Leonidas paedagogus imbuerat [21].

At non tantummodo exemplis, sed etiam facillimis praeceptionibus brevibusque sententiis puerorum institutio promovenda. Quo enim et quanto imitationis studio incendentur ipsi, ubi nihil cumulatius laudari sentiant, quam quod clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter factum sit, in iracundia praesertim, quae est inimica consilio: et in victoria, quae natura insolens et superba est? ubi intelligant, eum, qui jacentem hostem extulerit ac beneficiis ornaverit, non componi tantum cum summis viris, sed simillimum Deo judicari [22]? Quam religiose, quam sancte amicitiam colendam putent, liberalitatem, honestatem, cum de virtutibus his praedicari magnificentius audierint, quam de nobilissimis imperatorum triumphis? *Multas equidem* (sic Tullius) *C. Caesaris virtutes, magnas*

incredibilesque cognovi: sed sunt caeterae majoribus quasi theatris propositae et paene populares; castris locum capere, exercitum instruere, expugnare urbes, aciem hostium profligare, hanc vim frigorum hyememque excipere.... Sunt ea quidem magna, quis negat? Sed magnis excitata sunt praemiis ad memoriam hominum sempiternam: quo minus admirandum est, eum facere illa, qui immortalitatem concupierit. Haec mira laus est, quae non poetarum carminibus, non annalium monumentis celebratur, sed prudentium judicio expenditur. Equitem romanum, veterem amicum suum, studiosum, amantem, observantem sui, non libidine, non turpibus impensis cupiditatum atque jacturis, sed experientia patrimonii amplificandi, labentem excepit, corruere non sivit, fulsit et sustinuit re, fortuna, fide, hodieque sustinet... Sint sane illa magna, quae revera magna sunt. De judicio animi mei, ut volet, quisque sentiat. Ego hanc in tantis opibus, tanta fortuna liberalitatem in suos, memoriam amicitiae reliquis virtutibus omnibus antepono (23). Haec honestissima animorum sensa enarrari sibi identidem pueri sentiant et inculcari, ad haec ediscenda etiam munusculis, quibus maxime ducitur illa aetas, alliciantur. Ecquid enim non expectandum nobis ab eo, qui ab ineunte aetate haec imbiberit, unde spes totius reliquae vitae pendet; et a teneris assueverit, quod gratum, quod honestum, quod libera-

lem animum prodit, omnibus iis praeferre, quae in admirationem plerosque abripiunt, et magno clamore et plausu circumferuntur?

Sapienter itaque eximii quidam philosophi, ut omnes, sed pueros praesertim erudirent et ad honestatem effingerent, ad apologos et exempla animum adjecerunt; his ad omnium captum accommodatis instruendos ipsos, antequam ad alia accederent, ac praemuniendos putarunt. Quin Plato (24) ejusque discipulus Aristoteles (25) ulterius progressi omnia inservire moribus volunt; jubent sociales congressus atque domesticos, ludos, statuas, tabulas, inscriptiones, quidquid demum sensibus objicitur, esse hujusmodi, ut tenellis puerorum animis valeat amorem quemdam virtutis ac religionis, ut ita dicam, afflare: quorum vestigia et auctoritatem postea secutus Fabius illud inculcat, ut ii versus, qui ad imitationem scribendi proponentur, aliquid honesti moneant; felicem tum sibi rerum exitum ominatus experientissimus rhetor, cum haec anteverterent, et eruditis notionibus viam praestruerent (26).

Enimvero cur tandem (unumquemque nunc percontor ita cum Seneca) *cur liberalibus studiis filios erudimus* (27)? Novi equidem ad bene vivendum momentum maximum positum esse in litteris. Novi doceri ab his qui nobis propositus finis sit, quem nos spectare in omnibus deceat, ad quem omnia referre oporteat; quae sit vitiorum indoles ac virtutum; qua ratione

compescendae sint et ad bonum dirigendae cupiditates; quibus legibus temperanda cum domestica, tum externa, communia pariter ac propria, respublica, domus, civitas. Haec, inquam, omnia jampridem novi, quae quidem (ut nihil dissimulem) utilia fateor atque praeclara. Verum quid ex his artibus ac studiis *metum demit, cupiditatem eximit, libidinem fraenat* (28)? Haec non ipsam virtutem nobis impertiunt; ad eamdem aliquam tantum adhibent praecursionem: atque ut prima illa eruditio, per quam pueris elementa traduntur, non docet liberales artes, sed mox praecipiendis iis locum parat; sic hujusmodi studia *non perducunt ad virtutem animum, sed expediunt* (29). Jam vero quae isthaec tandem (malum!) cogitandi et agendi, quam praepostera ratio est! Cum omnium laborum studiorumque nostrorum finis virtus potissimum esse debeat: sollicite prorsus et anxie inquirere virtutis praesidia, virtutem ipsam aliquandiu negligere; non recta ad eam contendere, sed per obliquos veluti quosdam flexus; certo tempore haerere malle in vestibulo, quam ingredi ejusdem templum; discere demum, quam, cum possis, ipsam sapientiam consequi? Quis adeo sibi infensus erit et inimicus, ut tantum boni quodammodo sibi invideat, eoque tantisper carere velit, alterius multo minoris boni acquirendi cupiditate exardescens? Nonne esset id ordinem, ut ita dicam, naturae invertere, et inconsulta sciendi appetitione desipere?

Quae cum ita sint, videtis jam, sapientissimi viri, me non rem utilem tantum, sed necessariam penitus quaerere, cum pueros ita instituendos esse contendo, ut bonis praecipue moribus prius, quam bonis artibus imbuantur. Atque hunc educandi modum rationi consonum, puerilibus ingeniis aptum, rerum ordini accommodatum non modo studiis minime obesse intelligo, sed eadem etiam juvare plurimum certo scio.

Puderet sane me in tam illustri auditorum coetu eruditaque corona quidquam proponere, quod cum doctrina ac scientia non optime conveniret. Nihil ideo liberalium disciplinarum praestantiae detraho, neque apud alios existimationem imminuo. Quin etiam plurimum earum decus et dignitatem suspicio, utilitatem agnosco, fateor, commendo. Hoc unum vehementer flagito, hoc unum quaero et inculco, ut pueris, cum adhuc tenelli sunt et ad graviora nondum plerumque idonei, ea primum praecipua cura tradantur et explicentur, quae sana sint et honesta, vitae utilia, moribus opportuna; ea quae voluntatem in bonum flectant, optimam disciplinam promoveant, temperent affectiones, ne noxiae unquam evadant, pravae, inordinatae, incompositae; ea demum, quae ipsos pietatis, justitiae, modestiae, religionis amore incendant, nec experrectos tantum efficiant ad dignoscenda, sed paratissimos etiam ad praestanda quaelibet humanitatis officia. Haec porro instituendorum puerorum ratio tam castigata, tam sana,

aequitatis et moderationis plenissima, quibus tandem magnopere non probetur, praecipue cum disciplinarum studia non intercipiat, neque incrementum retardet?

Non enim haec pueris quascumque litteras importuna severitate interdicit. Si earum prima elementa discenda iis proposueris ac rudimenta linguarum; si faciliora decerpseris ex descriptione telluris, et alia elegeris, quae neque illorum tenuitatem excedant, et optime cum hac morum disciplina conveniant, nec eam impediant; eadem non modo tuae non repugnabit industriae, sed etiam libentissime suffragabitur.

Quamquam quis obloqui jure possit, vel si propterea litteraria institutio paullisper ex parte aliqua protrahatur? An non enim probitas et honestas potior cuilibet esse debet, quam vel magna eloquentiae vis et multiplex eruditio?

Quid, quod haec eadem magna et multiplex eruditio comparari nequit tam molli aetate et nondum satis corroborata? Mutuum siquidem corpus inter et animum foedus est, uterque simul arctissima colligatione vincitur; ex quo fit, ut alter plane sequatur alterum: et quemadmodum subire pondera nequit illud, nisi viribus auctum sit et confirmatum; sic iste, si mollis adhuc ac nimium tener, conari grandia non possit, sed importunae cogatur cedere gravitati disciplinarum. Quid, quaeso, ad hanc aetatulam Stoa, Peripatus, Academia? Gymnasia severitatis plenissima, a quibus arcuit ado-

lescentes ipse Aristoteles, cum de moribus disputaret [30].

Multa enimvero commoda, non negaverim, ex liberalibus studiis in ipsam pariter morum scientiam ad ejus progressum et incrementum redundant: eadem tamen, etiam his detractis et imminutis, adhuc stare potest suis firmissimis praesidiis fulta; possunt, inquam, pueri vel exigua doctrina imbuti, vel etiam antequam erudiantur, morum disciplina proficere, cujus usum, praestantiam, decus, necessitatem, accedentibus postea litteris, et ipsi plenius intelligent, et commendabunt aliis magnificentius. Quapropter ut importunus habendus esset, qui virtutem, teneris puerorum ingeniolis commendaturus de intimo ejusdem pretio subtiliter et accurate dissereret, putaretque ad eamdem ipsos pressa ratiocinatione se posse impellere: sic ille sapiens, qui tantum boni sibi polliceatur ab interioribus praecipue litteris, ubi iidem pueri ad aliquam maturitatem pervenerint.

Atque hoc quidem eo impensius prima aetate praestandum judico, quod periculum magnum est, ne, si litterarum studia morum disciplinae antevertant, non leve damnum et ipsae litterae patiantur. Ea enim humanae mentis, dum hoc corpore includitur, conditio est, ut nisi sensus pacatissimi sint, nisi cupiditates animi imperio pareant; ea explicare nequeat suas omnes vires, et efficaciter se se totam in contemplationem in-

tendere. Exigua nimirum quaelibet perturbatio in supremam animi partem repente invadens tranquillitatis ipsam e statu dejicit; ac si non omnem penitus occupat et absorbet, eamdem tamen alterat, confundit, miscet, et a propositis rebus avocat et abducit.

Quod si nonnulli, posthabita morum cura, studia praepropere amplexi sunt, et extitere eruditi; quem tandem litterariae hujus institutionis exitum expectamus?

Animadvertit valde opportune vir sapientissimus, Persarum regem Cambysem quaecumque a parente Cyro in hereditatem sibi transmissa acceperat, scilicet copiarum numerum, rerum omnium opulentiam, amplitudinem provinciarum, omnia in suam perniciem vertisse, quod recta morum disciplina ab ineunte aetate caruisset (31). Non dissimilis conditio litterarum. Ubi corruptum animum ac depravatum invenerint, quantopere timendum est, ne, tamquam vitiato stomacho exceptus cibus, suam et ipsae integritatem amittant, et labem augeant! Ad experientiam rerum magistram provoco.

Ecquis unquam pro dignitate dixerit ac senserit de eloquentia legum vindice, libertatis custode, fortunarum propugnatrice, vitae, reipublicae, religionis? Eadem tamen homines malos nacta quas clades edidit, quas tragoedias excitavit! An non enim visa est circumvenire innocentes, cives armare in cives, tumultus

serere, incendia spargere, libertatem opprimere, omnia venalia habere, sacra demum atque profana sollicitare, miscere, evertere?

Quid illa omnigenae doctrinae parens et inventrix poesis? Quas vices et ipsa perpessa est! Quae dedecora nonnullorum vitio subire debuit, quam perniciosis usibus inservire! Ipsam puduisse crediderim, ubi vidit se coactam, qua saltatricis in morem prodire in scenam, qua potentioribus assentari turpissime, qua vel minutae plebeculae risum mimica levitate captare, qua in omnes venena effundere, famam proscindere, innocuas aures putida licentia contaminare.

Adeo periculosum est, non praemisso virtutis studio, litteris se committere! Ipsae nimirum, si forte degenerent, ingenii aciem ad improbitatem exacuunt; ac nimium tristi metamorphosi veritatis patronos vertunt in acerrimos ejus hostes, morum vindices in corruptores adolescentiae, philosophos in errorum ac praestigiarum artifices, theologos in impietatis magistros.

Recordamini, quaeso vos, contorta illa et aculeata sophismata, captiosas cavillationes ac dolos, quibus improbi jampridem homines in religionem pugnarunt. Recordamini, in quas ambages ac tenebras se conjecerint, eo difficilius praecavendi, quo tectius in eam invaderent: ut propterea unumquemque Apostolus admonendum esse censuerit exclamans: *videte, ne quis vos decipiat per philosophiam* (32). Recordamini sedi-

tiones, caedes, incendia, civilia bella, quibus duobus circiter ab hinc saeculis diu afflictae jacuere provinciae, perditae vexataeque nationes, turbata regna. Recordamini, inquam, fidem extorrem, sacra sublata, jura convulsa. Teterrimam hanc malorum molem in se praecipitem ruere vidit Anglia, Germania, Batavia, Helvetia; multo graviores ictus et acerbiores perpessae singulae ab hominibus corruptae vitae depravataeque doctrinae, quam ab aliorum externorum hostium immanitate.

Sed quid ego revoco vos ad ea infelicissima tempora, cum haec aetas immensam paene errorum colluviem, eamque perniciosissimam viderit ex doctrinarum depravatione erumpentem? Vidit e transalpinis regionibus in nostras urbes, venenata totidem quasi jacula, libros conjici tam pravo doctrinae genere infectos, ut societatis ac religionis fundamenta convellant, et mores inexpiabili labe inficiant. Vidit procaces homines cum ipso caelo bellantes impugnare mysteria, denegare miracula, physicis eadem naturae legibus adscribentes; immo Deum ipsum aggredi impudentissime, eumque modo creatis rebus tamquam illarum partem involvere, modo vinculis fati adstringere, modo stupidum comminisci et improvidum, modo tandem omnino excludere. Vidit ab ipsis animum ex divina, ut ita dicam, mente decerptum turpiter humi affigi, suis intimis facultatibus exui, immortalitate fraudari: hominem ex gremio societatis

avulsum in deserta sylvarum antra compelli, comparari cum brutis, infra pecudes amandari.

Jam vero futurum ne unquam fuisse putemus, ut hujusmodi homines in tam sacrilegas opiniones erumperent et absurdas, si primum religionis atque pietatis studium imbuisset a teneris illorum animos, ipsique honesta institutione praeculti ad litteras se se postea contulissent? Putemusne tantam cladem editura fuisse impia illa volumina postremis hisce temporibus in Italiam ad exitium studiosae praecipue juventutis transmissa, si hanc praemunisset solidae virtutis disciplina?

Enimvero probitas et doctrina, utpote res natura simillimae, conjunguntur; at, nisi illa praecesserit, periculum magnum est, ne sibi relicta scientia misere in praeceps ruat. Et erit, qui in re tam dubia sibi temere persuadeat, optime consuluisse se pueris, dummodo eosdem erudiendos litterato viro tradiderit, dummodo exercendum eorum ingenium, memoriam excolendam et expoliendam linguam curaverit, etiam si de componendis eorum moribus nihil antea cogitaverit? Et erit qui, nulla vitae institutione praemissa, pueros litterarum studiis devoveat, nec quidquam mali ab iis pertimescat? Nihil fortasse eveniet, cujus ipsi sit postea poenitendum. Num satis propterea cautus et sapiens existimandus, qui rem summi maximique momenti, qui gravissimum negotium, in quo non privata tantum, sed etiam publica salus agitur et felicitas, in evidens

discrimen conjicit, et quod perficere tuto posset, incerto rerum eventui et fortunae temeritati committit? Ego profecto neminem vellem tam praepostero consilio gubernari.

Quid si ea primum adhibeatur a teneris institutio, cujus non modo exitus dubius sit, sed quae puerorum animos a virtute plurimum abalienet?

Plato, insignis ille philosophus, cum summis laudum praeconiis extolli Periclem audivisset, quod ad reipublicae clavum sedens Athenarum urbem singulari magnificentia exornasset, qua immensis templorum molibus extructis, qua statuis positis, qua excitatis theatris, qua omnigenis monumentis erectis: Plato, inquam, in tanto animorum aestu ac plausu ab illis coepit sciscitari, num Pericles tantarum rerum tam splendido magnificoque apparatu unum tantum hominem, sive advenam sive civem, seu liberum seu captivum, meliorem et honestiorem reddidisset (33). Egregiam sane animadversionem ac sapientissimo viro dignam! Ecquis enim ferat imperii moderatorem ea studiosissime promoventem auctoritate, praemiis, exemplo, sumptibus, non quae ad virtutem cives incendant (quod potissimum ipsi propositum esse debet), sed quae eosdem ignavos ac molles reddant, garrulos, nugaces, prodigos, et otiosos rerum inanium admiratores? Ecquis pariter ferat (sinite, quaeso, me liberius apud vos, sapientissimi viri, dolere et conqueri vicem nostram:

veritas vocem elicit, veritas contentionem inflammat), ecquis ferat tantam quorumdam sollicitudinem in rebus, quae multo minoris momenti sunt ac ponderis; in iis contra, quae maxima revera sunt ac necessaria, stupidam negligentiam atque socordiam? Quis ferat mollem illam educationem, quam *indulgentiam* vocant, quaeque deliciis primam aetatem solvit? *Nondum* (sic Fabius suorum temporum calamitatem deplorat) *nondum puer exprimit prima verba, et jam coccum intelligit, jam conchylium poscit. Quid non concupiscet adultus, qui in purpuris repit* (34)*? Haec igitur est tua disciplina? sic tu filium instituis? ob hanc causam tibi hunc puerum natura parens commendavit et tradidit, ut in voluptatibus aetatem suam collocaret, et hanc tu vitam foveres* (35)? Nationes veteres ac barbarae animum negligebant ac vitiis depravabant; corroborabant tamen corpus assiduis ipsum in laboribus exercentes. Haec disciplina nervos omnes et mentis et corporis frangit. Socrates omnium primus philosophiam devocavit e caelo, eamque in urbibus collocavit, et introduxit etiam in domos, ut vitam recte moresque institueret (36). Utinam his temporibus extitisset nemo, qui ad perdendos mores abuteretur ipsa philosophia! Non aliquem probum tantum, sed praeceptorem quemque *sanctissimum* (37) eligendum monet Quintilianus, ut nimirum *et teneriores annos ab injuria sanctitas docentis custodiat, et ferociores a licentia gra-*

vitas deterreat [38]. Nonnulli nunc (o inversa sors temporumque conditio!) hoc unum impense quaerunt, num eruditus et experrectus sit is, quem suorum filiorum institutioni praeficiant, vitae morumque ipsius omnino securi. Invitus sane de nostris loquor, quod sequius sit; sed rei gravitas et dolor vocem vel ab invitis extorquet.

Maxima debetur puero reverentia

clamat Juvenalis [39]: eumdem puerum sic alloquitur et adhortatur Horatius:

Nunc adhibe puro

Pectore verba, puer; nunc te melioribus offer [40].

Tullius denique ad Marcum filium, licet ille cum sapientibus versaretur, et abundaret praeceptis institutisque philosophiae; suum tamen illum pulcherrimum *de Officiis* librum mittendum statuit, utilissimum ratus, *talibus ejus aures vocibus undique circumsonare, nec eas quidquam aliud, si fieri possit, audire* [41]. Quid sentiendum, quid praestandum nobis in tanto lumine veritatis?

Verum quo me ardor dicendi proripit paene oblitum ubi sim, et quorum gratia perorem? Vestrae potius felicitati gratulari sine invidia mihi liceat, adolescentes, qui in hoc loco educamini; ubi tam multa non eruditionis tantum, sed etiam virtutis suppetunt adjumenta. Nolite, obsecro, cum adsint omnia, vos uni vobis maximo cum detrimento deesse. Ad liberales artes

ac scientias assiduo quidem labore et diligentia contendite; at nonnisi per recta vitae primordia, per rudimenta virtutis. Neque enim alius ad veram sapientiam nisi per virtutis semitam gradus est; *et qui diligit disciplinam, diligit et scientiam* (42). Ad utramque vos praestantissimorum virorum exempla alliciant, sed vota in primis ac jussa amantissimi Praesulis vos impellant. Videte tamen, ne ordinem invertatis. Virtus praeeat, morum disciplina praecedat. Si eadem moneo ac repeto, veniam date. Tali scilicet in re ac tanta malo *videri nimis timidus, quam parum prudens* (43).



ADNOTATIONES

(1) Justinus lib. XXIII.
(2) Strabo lib. XVI.
(3) Diodorus Siculus lib. II. cap. 1, scilicet post 180 stadia.
(4) Cic. Tuscul. lib. II. cap. 14.
(5) Ibidem.
(6) Cic. Tuscul. lib. V. cap. 37.
(7) De Divinat. lib. II. cap. 2.
(8) Cic. Tuscul. lib. III. cap. 1.
(9) Corn. Nep. in vita Annib. cap. 1.
(10) Cic. de Oratore lib. III. cap. 45.
(11) Quintil. Instit. lib. I. cap. 1 n. 4.
(12) Seneca epist. XXXI.
(13) Quintil. Instit. lib. X. cap. 2 n. 2.
(14) Virg. Georg. lib. II. v. 272.
(15) Cic. pro Archia cap. 6.
(16) Cic. de Senectute cap. 20.
(17) Val. Max. lib. IV. cap. 3.
(18) Livius lib. XXX. cap. 11. Suet. in Tito cap. 7.
(19) *Amici, diem perdidi.*
(20) Capitolinus cap. 9.
(21) Quintil. Instit. lib. I. cap. 1 n. 1.
(22) Cic. pro Marcello cap. 3.
(23) Pro C. Rabirio Posthumo cap. 15, 16.
(24) De Legibus lib. III.
(25) Politic. lib. VII. cap. 17. Vide Rollin Rhet. tom. IV. pag. 215.
(26) Instit. lib. I. cap. 1.
(27) Epist. LXXXVIII.
(28) Ibidem.
(29) Ibidem.

(30) Ethic. lib. I.
(31) Rollin Rhet. tom. IV. pag. 211.
(32) Ad Coloss. cap. II. v. 8.
(33) In Gorgia. Vide Rollin Rhet. tom. I. pag. 70.
(34) Quintil. Instit. lib. I. cap. 2 n. 1.
(35) Cic. pro Caelio cap. 17.
(36) Cic. Tuscul. lib. V. cap. 4.
(37) Instit. lib. I. cap. 2 n. 1.
(38) Instit. lib. II. cap. 2.
(39) Epistolar. lib. I., 2 v. 67, 68.
(40) Satyr. XIV. v. 47.
(41) De Officiis lib. III. cap. 2.
(42) Proverb. cap. 12 v. 1.
(43) Cic. pro Marcello cap. 7.

